Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36539
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ypm extra synagogam fierent. Propter
parentes eius dixerunt. quia ætatem habet ipsum interrogate de se loquatur. Vocaverunt iterum hominem. qui cecus fuerat et dixerunt ei. Da glorem deo. nos scimus quia hic peccator est. Dixit ergo ille. Si peccator est nescio. unum scio quia cum cecus essem modo video. Dixerunt ergo illi. Quid fecit tibi. Quomodo aperuit tibi oculos. Respondit eis. Dixi vobis iam et audistis. quid iterum vultis audire. Numquid et vos vultis discipuli eius fieri. Maledixerunt ei. et dixerunt ei. Tu discipulus eius sis. nos autem moysi discipuli sumus. Hos scimus quia moysi locutus est dominus. hunc autem nescimus unde sit. Respondit ille homo et dixit eis. In hoc enim mirabile est. quia vos nescitis unde sit et aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores non audit dominus. sed si quis dei cultor est et voluntatem eius fecerit. hic exaudit. A seculo non auditum est. quia quis aperuit oculos ceci nati. Nisi esset hic a deo. non poterat facere quicquam. Responderunt et dixerunt ei. In peccatis natus es totus. et tu doces nos. Et eiecerunt eum foras. Audivit ihesus quia eiecerunt eum foras. et cum invenisset eum dixit ei. Tu credis in filium dei. Respondit ille et dixit. Quis est domine ut credam in eum. Dixit ei ihesus. Et vidisti eum. et qui loquitur tecum ipse est. Et ille ait. Credo domine. Et procidens adorauit eum.

OFF. Benedicite gentes domino deo et nostro et obaudite vocem laudis eius qui posuit animam meam ad vitam et non dedit commoueri pedes meos benedicetis dominus qui non amouit deprecationem meam a me et misericordiam suam a me. CO. Supplices te rogamus domine. ut his sacrificiis peccata nostra mundentur. quia tunc veram nobis tribuis mentis et corporis sanitatem. PO. Factum est et spiritus domini et tetigit oculos meos et abii et lauaui et vidi et credidi deo. CO. Sacramenta que sumpsimus domine deus noster. et spiritalibus nos repleant alimentis. et corporalibus tueantur auxiliis. PS. P. Pateant aures misericordie tue domine precibus supplicantium. et ut petitis desiderata concedas. fac eos que tibi placita postulare.

Quærite CO. quærentium FERIA V. dominum quærite dominum et confirmamini quærite faciem eius semper. V. Confitemini domino et inuocate nomen eius annunciate OR.

Præsta quæsumus omnipotens deus ut qui inuia